

ramen se cerebrum exonerare, demonstravit excellentissimus
D.D. Rolfincius in dissertationibus anatomicis lib. 2. cap. 20. Excludun-
tur etiam externæ partes subcutaneæ à rationibus ante allatis.

CAPUT VII

chimicorum & Helmontianorum de
causis agit.

Paracelsus, & qui eum sectatur, Quercetanus lib. de artbriti-
de, & alii, Ψ rum principalem hujus adfectûs causam
constituunt. Duplex ille est: RESOLUTUS apparet
in sudoribus, urinis, lacrymis, qui quò acriori sale est
præditus, eò etiam acriores excitat dolores. SOLIDUS est,
qualis doliis vini vel articulis in lapideam vel cretaceam sub-
stantiam concretus adhærescit. In vasis resolutus, propè arti-
culos concrecere potest. Excitat hunc adfectum, dùm SALIA
sua purgat, quemadmodum herbæ & frutices virorem produ-
cunt, & flores. Principium, salinum omnis coagulationis &
concretionis autorem esse liquidæ veritatis ab ipsis habetur.

Verùm nova tantùm verba adfert Paracelsus, non res. Ut
 Ψ analogicè & per quandam similitudinem inest in misto
humano corpore, ita etiam excitat hunc affectum. Et hoc
sensu adjungimus Ψ rum seroso humori, & concedimus, cau-
sam efficientem podagræ esse HUMORES multo SALE & Ψ RO
scatentes. Salia enim, quæ insunt ichorosis & serosis humori-
bus, spiritibus suis Θ linis gravissimos, membranas dùm velli-
cant, excitant dolores. Hi humores, ad articulos pedum, tan-
quàm ignobiliore partes, cùm à nobilioribus fuerint dejecti,
ab iisdem, dùm retrudere non valeant, reservantur, ibidemque
dolores creant, tandemque à spiritu Θ lino, qui materiæ inest,
coagulantur, obrigescent, & dissipatis tenuioribus partibus in
tophos, quos Græci $\pi\acute{o}\epsilon\gamma\epsilon$ nominant, abeunt, cretam interdùm,
interdùm calcem, imò ipsos lapides referentes.

Helmontius lib. à sede animæ ad morbos, ut ferè in omnibus
morbis, ita & in podagrâ, Archæum iratum, furibundum & ab
acore infectum producit, qui erroneè translatus ad synoviam
tendit, eamque crudeliter afficit.

At